



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Sospitamentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Superanda omnis fortuna ferendo est.

*Antid. l. 3.
Leonis X.
P. M. passi-
entia testi-
ra familia
rh.*

Nullum unquam is opus neque publicum, neque privatum, etiam cum ad Pontificatum effectus esset, faciendum locavit, cui jugorum insignia non apposuerit, cum inscriptione, SVAVE, ut scilicet ad virtutis ejus fructum percipiendum alacrem esse necessariam voluntatem innueret, jugumque suave futurum, quod libenti animo toleraretur. At contra nihil tam facile, quin difficile appareat, quod invitus facias. Postea vero, cum is rerum potitus esset, ad insigne id ea accommodata est interpretatio, quæ orta est ex re ipsa, eo scilicet principe justam & clementem, atque adeo suavem humano generi servitatem obtigisse.

JUPITER. CAP. LII.

SEd quid illud, quod ipsius Jovis symbolum est, jugum? Jugare siquidem Jovis inventum esse veteres tradiderunt, & à Jovis nomine Græci ζεύξαι deduxerunt. Ipsum autem ajunt primum jumenta junxisse, ut ea in frugum fatu frugalem nobis operam præstarent. Nam

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni,

Nec ignoravit hoc Naso, cum scripsit de Jove ipso:

Semina tum primum longis Cerealia sulcis

Obruta sunt, pressique jugo genuere Juvenci,

Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso,

Sub Jove mundus erat.

*Georg. l. 1.
Ovid. lib. 2.
Metamor.*

DE CLAVO. CAP. LIII.

HAbet quid simile cum jugo, cumque laqueo, clavus, quantum pertinet ad colligationem, applicationem, unionem: quare locus exigit, ut super eo quoque aliquid disseramus.

SISTERE, CAP. LIV.

*Sic Horat.
Figit adam-
mantinos
summis ver-
tibus dira
necessitas
Clavos.
Clavi hic
roglyphica.
Carm. Ode
35.*

CLavus utique sistendi firmandique signum habitus apud antiquos. Et Dea ipsa Necessitas adamantino clavo insignis fingebatur, quæ ubi quid faciendum decrevisset, non licere vel Diis ipsis intercedere, Homerus ait. Hinc apud Horatium Fortunam ipsam, quæ rerum humanarum domina fingitur, semper anteit *sæva Necessitas, sive*, quod in antiquissimis codicibus observavi, *sæva Necessitas*,

Clavos trabales & cuneos manu

Gestans ahenea, severus

Uncus abest, liquidumque plumbum.

Eodem utitur hieroglyphico Tullius in Verrinis, ubi ait: *Et ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret, cum consilio causam Mamertinorum cognoscit, & de consilii sententia Mamertini se frumentum non imperasse pronunciat.*

SOSPITAMENTUM. CAP. LV.

Qui vero clavus aheneus, nonnumquam & ferreus in postico pariete templi, quod Minervæ dicatum erat, in Capitolio visebatur, præsentanei remedii ad mala quæ impendere viderentur signum habebatur, atque amuletum erat præcipue contra pestilentiam, eoq; vim morbi sibi persuasum fuit. Figebat eum Consul solenni sacro. Et aliquando Dictator solius figendi clavi causa creatus est: quo in albo Cincius Manlius, Cn. Quintilius, & alii nomen habent apud rerum scriptores. Cujusmodi rei adhuc Romæ extat monumentum hoc:

M. HORATIUS CONSUL EX LEGE
TEMPLUM JOVIS OPT. MAX. DEDI-
CAVIT ANNO POST REGES EXACTOS,
A CONSULIBUS POSTEA AD
DICTATORES, QUIA MAJUS IMPE-
RIUM ERAT, SOLENNE CLAVI
FIGENDI TRANSLATUM EST.

ANNUS